


# PALAESTRA LATINA



## SUMMARIUM

DE CERVARIENSIS ACADEMIAE VIRIS LITTERATIS  
(E. Jové).

INTER SCHOLARES

IN REMP. ARGENTINAM (L. Marcos)

NOVA ET VETERA, (I. González).

CURSUS GYMNASIICUS, (M. López de Zubiría)

CONLOQUIA LATINA

EPISTULARE COMMERCIIUM. (F. Reuss)

PER ORBEM (R. Pastó).

BIBLIOGRAPHIA, (J. Jiménez) (E. Jové).

EXERCITATIONES SCHOLARES in operculis.

M. VALERII MARTIALIS (J. Llobera)

in operculis.

**Ordinarii atque Superiorum permissu**

M. Valerii Martialis

Oda L. I, 49

*Hispane reddita.*

AD LICINIANUM

Vir Celtiberis non tacende gentibus  
Nostraeque laus Hispaniae,  
Videbis altam, Liciniane, Bilbilim  
Aquis et armis nobilem,  
5 Senemque Gajum nivibus, et fractis sacrum  
Vadaveronem montibus;  
Et delicati dulce Botrodi nemus,  
Pomona quod felix amat.  
Tepidi innatabis lene Congedi vadum  
10 Mollesque Nympharum lacus;  
Quibus remissum corpus astringes brevi  
Salone, qui ferrum gelat.

---

*Oh Liciniano ilustre  
Digno de ser con gloria celebrado  
Del pueblo celtibero, claro lustre  
De España, suelo amado,  
Verás en alto a Bilbilis erguida,  
Por sus aguas y acero esclarecida.  
Del Moncayo la frente  
Senil verás de nieves coronada,  
Y del Vicor sagrado la eminente  
Aspereza y quebrada,  
Y el deleitable que Campiel pregona  
Bosque, placer de la feliz Pomona.  
Nadarás en las linfas  
Deliciosas del Cóngeado templado  
Y en los suaves lagos de las Ninfas;  
El flojo cuerpo a nado  
Restituirás a su vigor primero  
En el Jalón que da temple al acero.*

JOSEPHUS LLOBERA, S. J.

(sequar)

- 
3. *Bilbilim*, rectius hic fortasse: sed cfr. IV, 55, 11; X, 104, 6.
  4. *Equis* Teubner; sed pro *aquis* standum censeo cum Ramiresio (Ramírez de Prado), his enim, non *equis*, Bilbilis praestitit. Cf. Plin. N. H. 34, 144 (al. XLI, 3): *Haec (aqua) .. nobilitavit loca gloria ferri, sicuti Bilbilim in Hispania et Turiasonem*. Cf. etiam fontes et flumina regionis Bilbilitanae de quibus hic Martialis mentionem facit, oppidorumque nomina: *Aquae Bilbilitanorum* seu *Bilbilitanae* (Alhama de Aragón), *Centumfontes* (Cienfuentes). Denique Bilbilitanorum equorum nulla usquam mentio, aquae vero Salonis fluvii durando ferro ad arma cudenda nobilissimae: v. infra v. 12.
  5. Vulgo *Caunum*. *Ad montem Caunum* (seu *Chaunum*) Liv. dixit, 40, 50, 2; pauci *Catum*. P. Fita in oratione academica «El Gerundense y la España primitiva» dupliciter lapsus est de hoc loco agens: primum cum *Grajum* scripsit et cum addidit: «Las variantes *Gajum* y *Caunum* se deben rechazar»; deinde cum asseveravit *Grajum* prisicum fuisse nomen Iberi fluminis: «Así *Grajus* fué nombre antiquísimo del Ebro», p. 53, Madrid, 1879.
  7. *Boterdi* Teubn.; sed *Botrodi* non nullis criticis probatur.
  9. *Tepidum* antiquar. edd. a recentioribus criticis merito rejcti videtur.
  11. *Astringas*, quod auctoritate miuime caret



# PALAESTR LATINA

MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

---

Pretium subnotationis annuae, solutione antelata, est 6 pesselarum in Hispania, 7 in America et Lusitania, 8 in reliquis civitatibus. Pretium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España.

---

## De Cervariensis Academiae viris litteratis

Hanc Palaestrae Latinae publicationem vix adgresso Avenarius meus mihi per litteras significabat quantum commentario accessurum esset ornamenti et lectoribus profectus ex detectis operibus hominum qui in litteris Latinis saeculis proxime lapsis magis conspiciebantur. «Percurri nuper—inquit ille—selecta opuscula Mureti illius clarissimi humanistae, quaedam etiam Baldeana gustavi. Quis novit quae Bembus, quae Valla, quae nescio qui alii scripserunt? Talium hominum exposuisse specimina per mihi videtur utile opus.»<sup>(1)</sup>

Crederet homo me penitus oblitum transactis ab epistula duobus annis; attamen nunc oculis suis hoc experietur, quod id tantum consilii totos hos menses nihil aliud quam excoquebatur. Qui autem plus minus ab ejus mente propositum nostrum declinavit, alius fuit vir et mihi et illi amicissimus, Josephus Fonts jam fataliter amissus, qui in «Alma Roma» anno prius quam Avenarius jam a me impense efflagitaverat ut lectores «certiores facerem de doctrina, eruditione, arte auctorum Academiae Cervariensis; an latine scribendi laude revera excelluerint, sintque eorum scripta ingenii minime vulgaris».<sup>(2)</sup>

Igitur non jam quoslibet auctores pulvere Bibliothecarum liberabo, sed eos minus notos, ut apud Hispanos scilicet, laude tamen dignissimos, quorum nomina notissima essent orbi litterario, nisi certum esset quod Josephus Finestresius in praefatione ad Hermogenianum jam anno 1750 agebat: «Non possum silentio praeterire regii hujusce Athenaei legum professores qui abstersis sordibus quibus Ro-

(1) PALAESTRA LAT ann. I, pag. 98.—(2) «Alma Roma», ann. XVII, pag. 28.

mana Themis foedebatur, eam, qua decet majestate atque ornatu, decoram discipulis conspiciendam exhibent. Sed verum etiam supprimerem, nisi pariter dicerem eos non potuisse adhuc vitare diffidentiam quamdam et animi depressionem, quae cum, de se ut nimis abjecte sentiant, ipsos inducat, nullis persuassionibus adduci possunt ut vel selecta quae habent in lucem prodire sinant, vel ut alia scribant quae cum orbe litterario communicata, nisi me iudicium fallit, cum plausu acciperent eruditiores; atque ita et famae suae et nostrae recentis Academiae honori atque existimationi magnopere consultum irent.»


Praeterea quemadmodum in natalem solum amoris sensus animo retinere perpetuo solemus, quamvis temporum vicibus hac illac jactemur in vita, sic manent etiam alta mente repositae aedes illae in quibus, studia peragentes, dulcissimos adolescentiae consumpsimus annos. Utraque igitur res etiam me commovet ut viros, qui in hac Academia Cervariensi ante centum et amplius annos flourerunt, notos faciam lectoribus: et propinquitas loci ubi incunabula Deus me voluit habere, ad quae illorum hominum gloria quodammodo pertendit, et parietes Athenaei qui magnis quasi clamoribus a me animum exoptulant gratum ob susceptum hospitium per quattuordecim annos, eosque aetatis meae pulcherrimos.

Igitur tempus est jam aperiendi hujus veteris Academiae amplas fores ut non modo superbam frontem planeque regiam et muros ejus manifestem, sed quod intus latuit velut in museo, et ignaris civibus, iisque non paucis, et viris etiam exterarum gentium ostendam: opera scilicet eorum vere linenda cedro et levi servanda cupresso.

Ac priusquam operi manus admoveo breviter dicam quis fuerit hujus Athenaei conditor; quandonam ejus initia, fastigium gloriae, declinatio, casus; quasnam deinceps sortitum vices antequam in manus Congregationis nostrae deveniret et quomodo post tam lacrimabiles casus iterum nacta fuerit esse domum quam aedificavisset sibi Sapientia.

---

Ergo finito successionis bello ex renuntiato jure, quod habuerit Carolus Archidux Austriacus, lippis et tonsoribus notum est cessisse thronum Hispaniae Philippo, Ludovici XIV Gallorum regis nepoti, qui ut Barcinonem civitatem puniretur quae in bello sibi fuerat infensa et ut languentes Catalaunicas Academias, vulgo Universitates, in unam conflaret potissimam; fortuito magis quam consulto eam Cervariae decrevit extruendam.



**Cervariensis Academiae frontis exteriorae prospectus**

Auspicalis lapis magna Cervariensium exultatione et sollemni pompa depositus est die 19 m. Decembris anno 1718. Varias jam constitutae scholae in ima aedium parte anno 1740, quae ad id tempus in aliis aedificiis habebantur, dum in altum extruitur tantae mollis opus quod tandem anno 1762 sartum tectumque est. Quo quidem tempore jam disciplinae ob clarissimos Academiae illius professores summos honoris gradus adsecutae fuerant, ita ut nobilis litteratus P. Bartolomaeus Pous vere dicere potuerit in oratione quam ad Academicos habuit *De retinenda eloquentiae gloria*: «Ego ipse non tam professorum tuorum laudes oratione mea effero, quam admiror; quam nitida, quam pura commentaria auditoribus suis tradunt professores Academici! Quam in illis omnia auream dicendi suavitatem sapiunt! Quam latine, quam diserte, quam eleganter, quam copiose, quam demum prudenter accomodateque dicuntur! Illa vero ornamenta doctrinae atque eruditionis, sine quibus solida ac genuina eloquentia minime constare potest, quanta quamque exquisita cernere in tuis professoribus licet! Multa in hac parte dicerem nisi me tempus revocaret; unum illud dico Cervariensium professorum gravissimo Collegio non satis dignos haberi eos qui totius antiquitatis notitiam, historiae cognitionem, linguarum maxime eruditarum usum ac facultatem non habeant». Qui quidem litterarum splendor ad finem usque saeculi XVIII perductus est. Inde vero, nequidquam repugnante Rai-

mundo Lazaro Dovio (Dou), postremo Academiae Cancellario, litterae gradatim sed celerrime ad extremam usque ruinam declinaverunt cum scilicet ex decreto regio anno 1842 omnium disciplinarum scholae Barcinonem remigrarunt. Fuit igitur Academia Cervariensis circiter 125 annos de qua quidem nullus non merito dicat: consummata in brevi explevit tempora multa.

Fata autem acerbissima quae deinceps subiit Academia Cervariensis quis dicere non erubescat? Ut civitas capta quae direptionibus et omnibus hostium contumeliis patet, aedes illae, per quas musae quondam laetae atque gaudentes volitaverant, bubonum latebrae devenerunt. Ibi milites castramentati, ibi malefactores reclusi, ibi publicae choreae, ibi nudinae agitabantur. Post 45 autem annos cum nempe hinc inde parietes deciderant et omnia circum parietinae remanebant, utendae a Superioribus Congregationis nostrae emptae sunt et post impensas non parvi momenti factas in Missionariorum juvenum formationem sunt ad nostram usque memoriam destinatae.

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

## Inter Scholares

### De orthographia

— Scisne quatenam consonantes fractae *vocali in syllabarum divisione quasi esset una consona.* appellentur et quatenam liquidae?

— De liquidis tantum sermonem audieram.

— Fractae igitur vocantur consonantes omnes quae cum liquidis unam syllabam efficiunt: en blatero; b est consona fracta, l autem liquida; in providus, frigidus; p et f sunt consonae fractae, r autem liquida.

— Quorsum tandem ista?

— Ut ne te unquam fugiat duas consonantes alteram fractam, liquidam alteram, unam tantum consonantem valere et ideo utrumque jungi cum una eademque

*vocali in syllabarum divisione quasi esset una consona.*

— Recte mones, amice.

— Est aliud etiam in quo erres.

— Dic citius et audacter.

— Cum duplex consona duas est inter vocales, prima semper jungitur priori et altera posteriori.

— Nihil clarius. Quid vero cum tres consonae inter vocales inveniuntur?

— Tum duae priores anteriori vocali adhaerent et tertia posteriori.

— Bene est. Lectionem tuam non obliviscar. Est tibi gratia et vale.

## IN REMP. ARGENTINAM

*Australem te cuncti, alma Argentina, salutant  
 Reginam populi; te dominamque vocant.  
 Splendida namque tibi caeli convexa tetendit,  
 Mitem donavit temperiemque Deus.  
 Ductorem (1) patrios caelis hausisse colores  
 Cum vexilla dedit caerula et alba, ferunt.  
 Extremis opulenta poli panduntur ab oris  
 Ad tropicum ignitum lataque regna tibi.  
 Tu, occidui solis montanae domna catenae,  
 Verticis Andini culmina celsa tenes,  
 Plurimus unde liquor per amoenos labitur agros,  
 Fruges quo gaudent, roscida prata virent.  
 Pingua quid memorem tua camporum aequora, toto  
 Mundo quae Cereris munera larga dabunt?  
 Gens habet extera fontes, qui tibi maximus, amnis (2)  
 Quo amplior ad Tethim nullus in orbe fluit:  
 Argenti Fluvium cognomine nuncupat audax  
 Cum proscidit aquas prima carina suas;  
 Montibus exsiliens et plana per arva morando,  
 Limina tincturus Principis Urbis adit; (3)  
 Tractuque in longo Neptunia freta penetrans,  
 Temperat immensi flumina acerba sali.  
 Consimilis ponto fulvarum campus aquarum  
 Fluminea longe fusus ab Urbe patet.  
 Haec urbes Americae Hispanae praeterit una  
 Cunctas, carminibus digna, Camoena, tuis  
 Huc properant naves, quae fumum cumque vomentes,  
 Disiunctas ripas mercis amore petunt.  
 Hinc remeans Argentinae famamque per orbem,  
 Thesaurusque suos puppis onusta gerit...  
 Prospiciens tandem haec miracula cuncta nivale  
 Tollit Aconcaguas magnus ad astra caput.*

LUDOVICUS MARCOS, C. M. F.


Idibus Augusti, 1932.

Villae Rosarii (in Argentina)

---

(1) Belgrano.—(2) Flumen vulgo dictum Paraná in Brasilia ortum, cujus supremi latioresque tractus Río de la Plata ab Hispanis nomen habent.—(3) Buenos Aires=Bonae Aerae.

# NOVA ET VETERA



Haud parum quidem temporis cum praeterierit, ex quo sectioni huic Palaestrae intendebamus, nunc denuo in exprimenda graphice lingua Latina humanissimorum lectorum attentionem movendam curaturi sumus. Haec scilicet visualis dicendi methodus et hodiernis commodior et in scholis utilior, magistris alumnisque testibus, evadit. Utinam in posterum non desit, qui operam huic rei amplificandae navet!

Tres comode adposita pictura dividitur in partes, quae totidem, ni fallor, sunt adminicula ad vocabula nonnulla memoriae infingenda.

I. In superiore nempe parte tabulae totius habes expressam diei partitionem. Circulus inibi delineatus tamquam planetae nostri horologiive cursum indigitat. Jam vero in quattuor et viginti partes vel horas distributo naturali die, duo-

decim earum ad diem proprie dictum, ad noctem duodecim pertinent, prout ipsa fert delineatio.

Variae omnino exstant secundum horarum diei noctisque cursum denominationes. Depictum in circulo videsis intempestae vel mediae noctis ad laevam sitam. Ab hora vero quarta matutina (respice circuli fastigium) ad sextam usque *diluculum* decurrit. *Mane* autem nuncupabis tempus ad duodecimam usque defluens horam, quod insuper meridiei est initium atque finis. Quod tempus consequitur ad vesperae initium *postmeridianum* audit. *Vespera* tandem incipit (circuli vide imum) ab hora sexta et decima ad decimam octavam, a qua *crepusculum* orditur.

Pristinis Romani populi temporibus haec erat diei magis pro natura partitio: Nox media, gallicinium, canticinium, diluculum, mane, ad meridiem, meridiem, de meridie, hora suprema, vespera, crepusculum, prima lux, concubium, intempesta nox.

Nunc abundantiae ergo et alias temporis divisiones addam:

<b>Temporis divisio</b>		<i>Quadrans</i>	15 minutae
<i>Secunda</i>	1. 2... (subauditur pars temporis)	<i>Hora</i>	60 minutae
<i>Minuta</i>	60 secundae	<i>Dies</i>	24 horae
		<i>Hebdomada</i>	7 dies





<i>Semensis</i>	15 dies
<i>Mensis</i>	4 hebdomadae
<i>Trimestris</i>	3 menses
<i>Annus</i>	12 menses
<i>Lustrum</i>	5 anni
<i>Saeculum</i>	100 anni

### Mensium divisio antiqua

<i>Kalendae</i>	1 mensis
<i>Nonae</i>	5 (aut 7) mensis
<i>Idus</i>	13 (aut 15) mensis

### Mensium nomina

<i>Januarius</i>	31 dies
<i>Februarius</i>	28 dies
<i>Martius</i>	31 dies
<i>Aprilis</i>	30 dies
<i>Majus</i>	31 dies
<i>Junius</i>	30 dies
<i>Julius, Quintilis</i>	31 dies
<i>Augustus, Sextilis</i>	31 dies
<i>September</i>	30 dies
<i>October</i>	31 dies
<i>November</i>	30 dies
<i>December</i>	31 dies

### Hebdomadae dierum nomina

<i>Dies Solis</i>	dominica
» <i>Lunae</i>	feria secunda
» <i>Martis</i>	» tertia
» <i>Mercurii</i>	» quarta
» <i>Jovis</i>	» quinta
» <i>Veneris</i>	» sexta
» <i>Saturni</i>	» sabbatum

### Stationes anni

<i>Ver</i>	a 21 Martii
<i>Aestas</i>	a 22 Junii
<i>Autumnus</i>	a 23 Septembris
<i>Hiems</i>	a 22 Decembris

II. Facile tu ipse scopum mediae partis picturae cernes, quae ex humanae effigiei exhibitione, nonnullas graphice ostendit adverbiorum loci rationes. Sex admodum sunt loci relationes, quas his grammatici vocabulis definire solent: *Ubi, unde, quo, qua, quorsum, quousque*. Relationem autem *ubi* seu staticam indigitat pictura adjuncta. En tibi et alia, secundum eorum categoriam, adverbialia loci et nota obiter commoditatem Latinae linguae in exprimendis ejusdem fere sensus nominibus:

<b>Ubi</b>	<b>Unde</b>	<b>Quo</b>	<b>Qua</b>	<b>Quorsum</b>	<b>Quousque</b>
<i>Hic</i>	<i>Hinc</i>	<i>Huc</i>	<i>Hac</i>	<i>Horsum</i>	<i>Hucusque</i>
<i>Istic</i>	<i>Istinc</i>	<i>Istuc</i>	<i>Istac</i>	<i>Istorsum</i>	<i>Istucusque</i>
<i>Illic</i>	<i>Illinc</i>	<i>Illuc</i>	<i>Illac</i>	<i>Illorsum</i>	<i>Illucusque</i>
<i>Intus</i>	<i>Intus</i>	<i>Intro</i>	<i>Intrinsecus</i>	<i>Introrsum</i>	<i>Intusque</i>
<i>Alibi</i>	<i>Aliunde</i>	<i>Aliquo</i>	<i>Aliqua</i>	<i>Aliorsum</i>	
<i>Ubique</i>	<i>Undique</i>	<i>Quoque</i>	<i>Quaque</i>	<i>Quaquaversum</i>	<i>Usquequaque</i>
<i>Ubivis</i>	<i>Undelibet</i>	<i>Quovis</i>	<i>Quavis</i>		
<i>Utrobique</i>	<i>Utrunque</i>	<i>Utroque</i>	<i>Utraque</i>		

III. Nihil fere de ultima tandem picturae parte dicam, quae ex se ipsa satis diserte loquitur. Nomina in ea ventorum, juxta Latinorum nomenclaturam, habes. Sagittarum est etiam ventorum directio. Bis ibi invenies *eurum* repetitam: alter respondet τῷ ἔρῳ Graecorum, alter vero τῷ ἐρρονότω. Hisque sit hodie satis.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

## CURSUS GYMNASTICUS

VERGILII ECLOGA III<sup>(1)</sup>

M. — Nunquam hodie effugies; veniam quocumque vocaris.

Audiat haec tantum vel qui venit ecce Palaemon.

50

Efficiam posthac ne quemquam voce lacessas.

*Nunquam hodie*: nullatenus «jamás por jamás»; ad contentio-  
nem Menalcas Damoetam cogit. — *Audiat haec*: ut testem Palaemonem  
atque judicem vocat. — *Lacessere voce*: compellere.

D. — Quin age, siquid habes; in me mora non erit ulla,

nec quemquam fugio: tantum, vicine Palaemon,

sensibus haec imis (res est non parva) reponas.

P. — Dicite, quandoquidem in molli consedimus herba.

55

Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbor;

nunc frudent silvae, nunc frondosissimus annus.

Incipe, Damoeta: tu deinde sequere Menalca.

Alternis dicetis: amant alterna Camenae.

*Quin age*: incipiamus ergo. — *Mora*: cunctatio, tarditas. — *Quem-  
quam fugio*: hoc verbum accusativum regiminis communis postulat —  
*Sensibus imis reponere*: intensissimas aures praebere. — *Parturire*: ger-  
minare. — *Omnis ager, omnis arbor*: synecdoche, modus singularis  
pro plurali. — *Frondosissimus annus*: synecdoche, totum pro parte,  
*annus pro vere*. — *Et nunc*.: Vergilius quam brevissimis verbis per no-  
bis magnifice depingit. — *Alternis*: subauditur *vicibus*. — *Amant alterna*:  
carmina alternatim dicta. — *Camena*: musa. — *Deinde* diphthongus.

D. — Ab Jove principium, musae: Jovis omnia plena;

ille colit terras; illi mea carmina curae.

70

M. — Et me Phoebus amat; Phoebosua semper apud me

munera sunt, lauri et suave rubens hyacinthus.

D. — Malo me Galatea petit, lasciva puella,

et fugit ad salices et se cupit ante videri.

M. — At mihi sese obfert ultro, meus ignis Amynthus

75

notior ut jam sit canibus non Delia nostris.

*Ab Jove*: ellipsis *sumamus*. Incipit jam certamen seu contentio  
*amoebae* appellata qua uterque eodem carminum numero alternis  
vicibus dicit, adversarii superans unusquisque dicta vel contrarium  
adserens. — *Jovis omnia plena*: deorum pater reputabatur. — *Illi... curae*:  
*sum* cum duobus dativis redditur a nobis pro *servire*. — *Phoebus*: Apol-  
lo, carminis atque musicae deus. — *Suave*: hellenismus pro *suaviter*. —  
*Hyacinthus*: pretiosa gemma. — *Malo*: instrumentum in ablativo. —  
*Petere*: ejicere. — *Lascivus*: hilaris. — *Sese*: personali *sui* in accusativo  
additur frequens syllaba *se*. — *Ultro*: sponte. — *Ignis*: ejus amore arde-  
bat, urebatur Menalcas. Quanta verborum proprietas atque pulcritu-  
do in hac metaphorā! — *Nostris canibus*: in dativo; regitur a compara-  
tivo *notior*. — *Delia*: subjectum verbi *sit*.

D. — Parta meae Veneri sunt munera; namque notavi

60

ipse locum, aëriae quo congressere palumbes.

(1) Conf. num. sup. p. 9.

- M.—Quod potui, puero silvestri ex arbore laeta  
aurea mala decem misi: cras altera mittam.  
D.—O quotiens et quae nobis Galatea locuta est!  
partem aliquam venti divum referatis ad aures! 65  
M.—Quid prodest, quod me ipse animo non spernis, Amynta,  
si dum tu sectaris agnos, ego retia servo?

*Venus*: Damoetae amica. — *Parere*: praeparare. — *Quo*: seu rectius in quo. — *Aëriae palumbes*: columbae silvestres. — *Congessere*: ellipsis *nidum*. — *Quod*: quantum. — *Puero*: Amyntae. — *Ex arbore*: unde? — *Divum*: syncopa pro *divorum*. — *Venti*: audax prosopopoeja seu personificatio. O venti ferte grata! — *Tu sectaris... ego servo*: magnam cogitatuvi praebet vim haec antithesis.

- D.—Phyllida mitte mihi: meus est natalis, Iola;  
cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito  
M.—Phyllida amo ante alias: namque me discedere flevit,  
et longum, formose, vale, vale, inquit Iola.  
D.—Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres, 80  
arboribus venti, nobis Amaryllidis irae.  
M.—Dulce satis umor, depulsis arbutus haedis  
lenta salix feto pecori, mihi solus Amyntas.

*Phyllida*: puella; accusativus Graecus-Latinus tertiae. — *Meus est natalis*: Urbs Roma natalicium diem magnis celebrare honoribus solita fuit. — *Facere*: inmolare. — *Vitula*: ablativus instrumentalis. — *Ante alias*: plusquam alias. — *Me discedere*: seu rectius *me discedentem*. — *Longum vale*: per diurturum tempus. — *Imber*: pluvia. — *Lupus stabulis... frugibus imbres... arboribus venti...*: quam pulcherrimae nobis videntur hae antitheses, pastorum propriae! — *Depulsus*: ablactatus seu a materno lacte remotus. — *Arbutus*: virgultum. — *Haedis depulsis*: in dativo; utilitatem enim significat. — *Fetus*: praegnans. — *Dulce satis*: Menalcas tribus comparationibus ex campestri vita desumptis quam carus illi sit Amyntas ostendit.

- D.—Pollio amat nostram, quamvis sit rustica, musam:  
Pierides, vitulam lectori pascite vestro. 85  
M.—Pollio et ipse facit nova carmina: pascite taurum,  
jam cornu petat et pedibus qui spargat arenam.  
D.—Qui te, Pollio, amat, veniat quo te quoque gaudet,  
mella fluunt illi, ferat et rubus asper amomum.  
M.—Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Maevi, 90  
atque idem jungat vulpes et mulgeat hircos.

*Musa*: carmen. — *Pierides*: Musae, Jovis filiae. — *Petere cornu*: impetere, adgredi. — *Pollio*: Consul Romanus, quo intercedente poeta Mantuanus agrum suum recuperare adsecutus fuerat. — *Pascite taurum*: Damoetas Pollutionem obsequio afficere exoptat vitula, Menalcas autem tauro. — *Quo*: adverbium. — *Mella*: in plurali raro adhibetur. — *Fluant... ferat...*: subjunctivus optativus. Praesens et perfectus subjunctivi significant votum rei quae fieri posse existimatur. — *Bavium... Maevi...*: duo pessimi poetae, Vergilii adversarii atque inimici. — *Jungat vulpes... mulgeat hircos...*: Qui carmina Bavii atque Maevi amet, jungat, si potest, vulpes, animalia astuta et velociter currentia et mulgeat hircos qui nihil lactis habent! Ingeniosissima ironia qua pessimis poetis Menalcas inludit.

- D.—Qui legitis flores et humi nascentia fraga,  
frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.  
M.—Parcite, oves, nimum procedere: non bene ripae  
creditur; ipse aries etiam nunc vellera siccatur. 95  
D.—Tityre, pascentes a flumine reice capellas:  
ipse ubi tempus erit, omnes in fonte lavabo.  
M.—Cogite oves, pueri; si lac praecederit aestus,  
ut nuper, frustra pressabimus ubera palmis.

*Humi*: genitivus locativus. — *Frigidus*: venenosus. — *Pascite oves*: cavete. *Prosopopaeja*. — *Siccatur*: quot et quantum periculorum ripa continet. — *Tempus*: opportunitas. — *Erit*: significat actionem futuram. — *Reice*: arcere. *Reice* pro *rejice*, amissa *j* consona, fit diphthongus cum *e* et altera *i*. — *Cogere*: congregare. — *Praecipere*: exhaurire, consumere. — *Pressare*: conprimere. — *Palmis*: manibus.

- D.—Heu, heu quam pingui macer est mihi taurus in arvol 100  
idem amor excidium pecori pecorisque magistro.  
M.—His certe neque amor causa est: vix ossibus haerent.  
Nescio quis teneros oculos mihi fascinat agnos.  
D.—Dic quibus in terris—et eris mihi magnus Apollo—  
tres pateat caeli spatium non amplius ulnas. 105  
M.—Dic quibus in terris inscripti nomina regum  
nascantur flores: et Phillida solus habeto.

*Heu, heu*: repetitio inum dolorem exprimens. — *In pingui arvo... macer taurus*: antithesis. — *Idem amor excidium*: hic amor maxima illi intulit mala. — *Neque*: Menalcas asserit amorem non sibi intulisse mala. — *Vix ossibus haerent*: Hyperbole. — *Nescio quis fascinat*: Saepe locutiones *nescio quis*, *nescio quomodo*, *nescio unde...* interjiciuntur ut parenthesis et orationem interrogativam non constituunt. Ideoque ne miremini quod Vergilius *fascinat* et non fascinet dicat. — *Apollo*: poësis, musices atque medicinae deus qui aenigma solvet. — *Dic quibus*: Damoetas Menalcam respondere paratum videns ne certamen nimis longum evaderet, aenigma proponit quod indissolubile putat. — *Non amplius ulnas*: vel *quam ulnas* vel *ulnis sine quam*. — *Inscripti nomina... flores*: Sensus hic est: *flores qui ferant vel ferentes nomina inscripti* (pro inscripta) regum. Menalcas adversarii aenigma non solvit sed novum proponit. — *Phillida*: communis utriusque amica. — *Solus habeto*: tibi uni sit.

- P.—Non nostrum inter vos tantas componere lites,  
et vitula tu dignus et hic et quisquis amores  
aut metuet dulces aut experietur amaros. 110  
Claudite jam rivos, pueri; sat prata biberunt.

*Non nostrum (est)*: verbum *sum* in acceptione proprium esse habet genitivum; at pro *mei, tui, sui, nostri, vestri* adhibetur *meum, tuum, nostrum, vestrum*. — *Componere*: dirimere. — *Metuet experietur*: actionem futuram exprimit. — *Claudite... jam... sat prata biberunt*; Finitur haec ecloga pulcherrima allagoria qua iudex seu contentionis arbiter certantium facundiam atque ingenium non parvum praedicat. Palaeon neutrum pronuntiat victum immo utrumque victorem. In hac Ecloga sub Menalcae nomine plerique Vergilium intellegunt.

MACARIUS LÓPEZ, C. M. F.

## Commercium Epistulare

*Franciscus Reuss SS, Red. Dri. Josepho Fonts s. p. d.*

Roma, 8 - VI - 1911.

Adm. Rvde Dne.:

Sero admodum tibi respondeo, qui mihi inde a die 15 Maji scripsisti. Causa haec est, quod nimis oneratus fui labore postremis diebus et etiam nunc oneror tum ob munus meum Secretarii apud Superiorem Generalem tum ob editionem, quam a 5-6 hebdomadis paro, carminum in unum collectorum. Huius libri, qui 350 circiter paginas complectitur, 200 et amplius jam sunt typis impressae. Reliquas absolutas videre cupio ante meum ex urbe profectum qui fiet die prima venturi Julii. Comes enim ero Superiori meo Generali qui aliquas e nostris provinciis transalpinis visitare constituit. Neque ante mensem Septembrem, ut puto, rediturus sum Romam. Tum, ut spero promptam reperiam epistolam Pontificiam libello meo praefigendam; qua praefixa, liber tandem vulgabitur. Tibi exemplar dono mittendum curabo.

Ob labores quos supra memoravi non potui quidquam in laudem tui Balmesii et Seminarii in quo vixit componere. Ceterum versus quos ipse de re scripsisti satis concinni sunt, et concinniores etiam evadent, si eos ipse relegeris et secundis curis perpoliveris.

Versus tuos iambicos ad SS. Christi Spinas nitidos et intima pietate plenos repperi. In Oda tamen alcaica in honorem Sti. Thomae, nisi fallor, aliqua omittere potuisses, quae artem meretriciam malaefeminae nimium graphice depingunt. Satis fuisset huiusmodi res tecius et objecto quasi vello innuere. Veniam, quaeso, da si, quod ego sentio, candide expresserim. Ceterum in eo carmine multa sunt quae cuivis lectori probentur.

Pius X, pro sua benignitate, mihi permisit ut Ipsi libellam dicarem. En mea dedicatiuncula versibus hendecasyllabis Catullianis concepta:

### *PIO XI, PONT. MAX.*

*I nunc, parve liber, meosque versus,  
quos (tironis opus) sinu recondis,  
offer, munus inops, Patri benigno,  
orbis quem Decimum Pium salutat.*

*Dices: «Ecce Tibi corolla florum,  
florum quos humilis poeta mittit;  
quos non texuit ars, nec educavit  
hortus nobilior, sed imperitus  
carpsit de mediis viator agris.»*

*Supplex inde Patrem rogabis ut te,  
ut me salvificae Crucis notare  
signo ne renuat, pieque nobis  
quidquid laetificum sit, adprecetur.*

In SS. CC. J. et M. Addmus..

P. Franc. X. REUSS SS. Red.

## Conloquia Latina

### Vir tradecim annorum

#### I.

Mater.—*Titinne, indue te celeriter; ad Sacrum sonant campanae.*

Puer.—*Ipse non ibo.*

M.—*Quidni, animule mi! officium quidem est.*

P.—*Quid mihi cum officio!... Muliebria sunt haec omnia.*

M.—*Vide: qui Sacris non adstat, probus esse nequit.*

P.—*Ut sine eo probus nullus esse queat? Tata meus probus est et Sacrum non adit.*

M.—*Satis est, inquam, satis; ad Sacrum eamus et sileto.*

P.—*Ajo me ad Sacrum non esse venturum.*

M.—*Noli me tibi succensere, mi Titinne; mammam tuam commitaberis.*

P.—*Pupula te commitabitur. Ego cum felibus jocabor, dum tata surgit.*

M.—*Pueri isti novelli... sed tandem vis nulli est inferenda.*

#### II.

Pu.—*Tata mi, da nummos quibus ad cinema vadam.*

M.—*Nullatenus; nolle dare; hodie Sacrum adire noluit.*

Pa.—*Non libuerit, mulier! Sine eum animo indulgere, qua quidem nulla melior est educatio.*

M.—*Supersede philosophiis istis, Id quidem verum est. Puerum ad cinema vadere non meretur qui ad Sacrum ire noluit.*

Pa.—*Apud me ipse impero. Propera, Titinne; tibi licet ad cinema.*

Pu.—*(Submisce ad mamma) Tibi mettas; nollueras prius.*

#### III.

### Puer amissus

Pa.—*Tempus est adcumbendi. Veniat Titinnus.*

### Un hombrecito de trece años

#### I.

M.—Titín, arréglate pronto, que ya tocan a misa...

H.—Yo no voy a misa...

M.—¡Cómo no, hijito de mi alma!... Es un deber...

H.—¡Qué deber...! Esas cosas son de mujeres ..

M.—Mira que el que no va a misa, no puede ser bueno.

H.—¿Que no puede ser bueno? Pues papá hartoo bueno es, y no va a misa.

M.—Bueno, bueno, vamos a misa, y se acabó...

H.—Te digo que yo no voy a misa.

M.—No me desaires, mi Titín, acompaña a tu mamá.

H.—Que te acompañe la nena. Yo voy a jugar con los gatos mientras se levanta papá.

M.—...Esos chicos de ahora... Pero en fin, a nadie hay que violentar.

#### II.

H.—¡Papá, dame con que ir al cine!...

M.—No, no le des; hoy no quiso ir a misa.

P.—No tendría ganas, mujer. Déjale que siga sus inclinaciones, esa es la mejor educación.

M.—Déjate de filosofías. La verdad es que el niño que no va a misa, no merece ir al cine.

P.—¡Aquí mando yo! Corre, Titín, vete hoy al cine...

H.—(Por lo bajo a su mamá). ¡Trágalal! Tú no querías.

#### III.

### El niño perdido

P.—Ya es hora de sentarse a comer. Que venga a comer Titín.

- M. — *Nondum rediit puer.*  
 Pa. — *Quid? Ab hora tertia puer extra domum? An quidquam ei acciderit... An vias inierit iniquas... At... fieri nequit! Puer tradecim est annorum. Trerriiit... Tinnibulum sonuit... Ille est... Januam pauperculo aperiam.*  
 M. — *(Ingreditur) Quem manebas?*  
 Pa. — *Neminem.*  
 M. — *Facies tua te quemquam sperasse re- fert.*  
 Pa. — *Atqui Titinum ab hora tertia scito nondum esse regressum. Numquid in- vastigasti de eo?*  
 M. — *Quem vero rogaverim.*  
 Pa. — *Ineptam te esse ajo atque ineptissi- mam. Nonne nosti quas amicitias foveat?*  
 M. — *Francisculi est amicus indissociabilis.*  
 Pa. — *Ad telephonium igitur. (Terrin!!!) Estne apud vos Tittinnus noster? — Mi- nime; hic etiam de Francisculo valde sumus solliciti, qui a cinemate nondum est regressus.*

## IV.

**Puer inventus, sed non  
in templo**

- *Invenimus tandem Titinum.*  
 M. — *Ubi autem? Ubi erat puer?*  
 — *In carcere vicini oppidi, quo devenit ne- bulo post mille malefacta.*  
 Pa. — *Quid fugisti, fili mi?*  
 Pu. — *In cinemate hominem videram lepi- dum ac fortunatissimum, quem nullus detector comprehendebat, eumque ae- mulari volui.*  
 M. — *Et didicisti tandem ex te quid sit ho- minum vita?*  
 Pa. — *Etiam; deliciarum plena, evadere con- upisco.*  
*Hic in scaenam prodit cantor atque tatis mamisque in contione dicit: Nol- lite stipites esse!*

- M. — *No ha vuelto el niño.*  
 P. — *¡Cómo! ¿Desde las tres está el niño fuera de casa? Si le habrá pasado algo... si andará en malos pasos... Pero ¡imposible! Un niño de trece años... ¡Ha sonado el timbre! ¡Es él! Voy a abrirle, pobrecito.*  
 M. — *¿A quién esperabas?*  
 P. — *A nadie.*  
 M. — *Tu cara me dice que esperabas a alguno.*  
 P. — *Pues bien, sábete que Titín no ha vuelto desde las tres. ¿Has averigua- do por él?*  
 M. — *¿A quién iba a preguntarlo?*  
 P. — *Si digo que eres un colmo de inu- tilidades. ¿No sabes que amistades frecuente?*  
 M. — *Es inseparable de Panchito.*  
 P. — *Pues al teléfono... ¡Trrrin! ¿Está ahí nuestro Titín? — No señor; aquí tam- bién están apenados por Panchito que no ha vuelto del cine.*

## IV.

**El niño hallado, y no en  
el templo**

- *Por fin, hemos hallado a nuestro Titín.*  
 M. — *¡Dónde, dónde estaba?*  
 — *Lo hemos encontrado en la cárcel de un pueblo cercano, a donde fué a parar por mil fechorías.*  
 P. — *¿Porqué huiste, hijo mío?*  
 H. — *Porque en el cine vi a un aventure- ro la mar de gracioso y que ningún detective podía con él y quise imi- tarle.*  
 P. — *¿Y has aprendido ya por experiencia lo que es la vida?*  
 H. — *Sí. Es deliciosa; estoy deseando es- caparme.*  
*Y aquí entra en la escena el narra- dor y dice a los papás y mamás del público: ¡No seáis estúpidos!*  
 Telón rápido.

L. C. M.

## Per orbem

**Philologorum universalis conventus.** Dnus. J. Schrijnen a secretis societatis internationalis linguistarum tertium conventum generalem, praeside Dno. Bartoli, mense Septembri anni 1933, Romae celebrandum refert.

Decreta superioris conventus eo pergunt ut verba linguarum technica conflingantur omniumque in usu redantur; quare nonnullis praehabitis disquisitionibus, typis recens mandatum est opus cui titulus «Lexique de la terminologie linguistique» quod, etsi omnibus nondum absolutum numeris, principium est alterius vocabularii ex omni parte perfectissimi.

**Editorialis domus Schönningh.** Parisbrunnae in Germania a Schönningh classicorum Latinorum textus adnotationibus ornati nuperrime vulgata sunt *De bello Gallico* volumina duo (18 x 12). Alterum continet textum praecedente Caesaris notitia, indice nominum insequente, alterum vero, velut commentarium operis, historicis notis atque grammaticis constat quae tamen breves sunt et concisae: quo fit ut ephebi maxime adjuventur in exercitiis scholaribus atque parvo illa emere possint.

**Studia in Latinitatem Medii Aevi.** Mense Julio anni 1931 Delegatio constituta fuit quae Latinum theologorum philosophorumque scriptorum Aevi Medii lexicon conficeret. Delegati in universitatibus europaeis et americanis professores insignes hi sunt qui sequuntur: Dnus. Gilson professor in Parisiensi litterarum facultate atque moderator Scholae studiorum superiorum. R. P. Théry et F. Lot professores in Instituto Catholico

Parisiorum, Dnus. Lacombe et Zeiger ex Universitate Washintoniae delegati.

Textus scriptorum intra saecula VI et X conscripti sub R. P. Théry moderatione exarandi erunt; ii qui temporibus Gerberti et S. Anselmi elaborati fuerunt, sub cura Dni. Gilson perficientur; demum opera saeculi XII Dnis. Lacombe et Zeiger assignantur.

**Expeditiones navales Associationes Guillelmi Budé.** Haec bene merita Associatio, postquam per annum suos socios amore Classicorum imbuat suis publicationibus et certaminibus, feriis, aestivis praesertim, dum animum relaxandi gratia ioca et oblectamenta omnes persequuntur, expeditiones instaurat, in quibus simul utile dulci mirifice miscere curat.

Graeciam primo invisit, postea Cretam, insulasque Aegaei, dein Constantinopolim et Borussam donec omnia inviserit, quae ad classicitatem intellegendam fovendamque inserviant.

Feriis aestivis anni currentis in consilio erat expeditio navalis per Mare Mediterraneum centrale, Siciliam praesertim.

Hujus itinerarium erat tale: Exitus Massilia Idibus Augustis Neapolim versus; postea Siciliam cum expeditionibus Panormi, Segestae Selinuntis, Agrigenti, Syracussarum, Cataniae, Tauromenium Naxi. Dein Illyricum etiam visere debebat et Epirum. Stationem in Corcyra, Ithaca, et in regressu in Melita et Timissa et Carthagine faciet. Reditus Massiliam tertio Nonas Septembres compleitur.



Exemplum vere omni laude et imitatione dignissimum nobis praebebat haec perinlustris Associatio hujusmodi expeditionibus. Nemo est enim qui ignoret magnum eas adferre ad-

umentum ad Classicorum studium et intelligentiam; nam conplures sic dilucidantur relationes quae passim in Classicis inveniuntur.

R. PASTÓ, C. M. F.

## Bibliographia

X. *Tertulliani de paenitentia et de pudicitia*, recentio nova.

Librum de paenitentia anno circiter 203 conscriptum una cum libro de pudicitia clmus. Rauschen optime recensuit, adnotavit, prolegominis ornavit; indice praeterea verborum tum rariorum, tum eorum quae a Tertulliano sensu usurpantur locupletavit: quae omnia rite perpensa, X Florilegii fasciculum maxime commendant.

XI. *Tertulliani de Baptismo et Ps. — Cypriani de Rebaptismate*, recentio nova.

Auctor in recognitione Tertulliani de Baptismo libri, nullo codice manuscripto, sed sola editione principe Gangnei usus est. In anonymo libro de Rebaptismate duos codices Bibl. Vaticanae a Hans von Soden primum inter se coordinatos secutus est. Quae tamen dubia vel incerta remanebant criticis illustravit adnotationibus, et locos praecipuos historicis documentis ornavit.

XII. *Emendationes et adnotationes ad Tertulliani Apologeticum*.

Dr. Rauschen in VI Flor. Patr. fasciculo scripserat: «In codice Fuldensi habemus singularem formam Apologetici, quae multis locis sola veras Tertulliani scriptiones adservavit... Sed cave dicas cum Callewaert textum hujus codicis non esse recte re-

tractatum... Itaque magna cautione eo utendum est.» Sed postquam de Apologetico Fuldensi viri conspicui disseruerant, ipse Rauschen tum ex auctorum disputationibus, tum propria inquisitione compertum habuit multa in prima Apologetici editione emendanda, multa etiam supplenda esse, praesertim in adparato critico. Haec omnia in hunc fasciculum Florilegii congesta sunt, ita, ut omnes lectiones Fuldensis codicis nunc aut in textum aut in adnotationes receptae sint, iis praetermissis, quae, ut meri librarii, nullius sunt momenti.

Fas. IV. *Quinti Septimii Florentii Tertulliani liber de praescriptione Haereticorum, addito S. Irenaei adversus Haereses libro III, 3-4.*

Librum de praescriptione haereticorum inter omnia Tertulliani opuscula longe praestantissimum esse omnes conveniunt; quo vero tempore editus sit, etsi omnium non fuerit eadem sententia, eorum nunc praevaluit ac fere vicit, qui extra haereseos saepta crescere adserant. Tertullianus praescriptionem jurisconsulti optime usurpavit vocem contra haereticorum novitatem: ipse tres adfert praescriptiones, veritatis nempe, prioritatis, proprietatis.

Pro hac editione tres vetustissimos codices, Agobordinum saec. IX, Seletstadiensem saec. XI, Leidensem

saec. XX, quos G. Rouschen contulit, Dr. J. Martin iterum recensuit. Haic Tertulliani libro appendix S. Irenaei adversus haereses III, 3-4 graece et latine addita est.

Fas. XIII. *D. Thomae Aquinatis quaestiones disputatae de veritate, quaestio XI.*

Florilegium Patristicum auctores tum veteri tum medii aevi complectitur. Cum vero Divus Thomas primos inter medii aevi scriptores obtineat, non mirandum sane quod nova florilegii series a Magistro Thoma sumat exordium. In quaestione de veritate quaeritur primum utrum homo possit docere et dici magister an solus Deus; dein utrum aliquis possit dici magister sui ipsius; postea utrum homo ab angelo doceri possit; demum utrum docendi actus sit vitae activae an contemplativae.

A. Dyroff textum Latinum edidit atque in usum maxime Seminariorum Germanicorum adnotationibus ornavit.

Fas. XIV. *D. Thomae Aquinatis Summae Theologiae partis I quaestiones 75-77, una cum Guillelmi de la Mare correctorii Fratris Thomae articulo 28.*

Quaestiones 75-77 primae partis Summae Theologiae quae sunt de essentia et potentiis animae edidit, adnotavit atque Germanica praefatione ornavit D. Dr. Bernardus Geyer, Ob gravissimas, ni fallor, magni belli perturbationes opus Florilegii Patristici moram ab anno MCMXV patitur, sed anno jam MCMXX fasc. XIV editur qui tres Summae Theologiae ca-

pit quaestiones, quae hac se habent ratione: q. 75, *De homine qui ex spiritali et temporali substantia componitur*; q. 76, *De unione animae ad corpus*; q. 77, *De his quae pertinent ad potentias animae in generali*. Fasciculus completur correctorio Guillelmi de la Mare, art. 28.

José JIMÉNEZ, C. M. F.

**D'Agustino.**—C. Plinio Cecilio Secondo *Epistole Scelte*.—Società Editrice Internazionale.—Corso Regina Margherita, 176, Torino.

Frequentes sunt apud Italos ad scholas totius gymnasii Scriptorum Classicorum commentarii. Ex Societate Editrice Interdationali prodit non ita pridem opusculum «*Epistolae Selectae*» C. Plinii Caec. Secundi curante V. D'Agustino viro praeclearo. Quadraginta complectitur volumen epistulas, quae praeter commune integrae Latinitatis commodum in selectis Scriptorum Latinorum locis, praeter commentationes et morphologicas et syntacticas plus solito copiosas, pretium habent historicam, ita ut scholae mediae alumni historiam litterariam, quam ad eos novisse pertinet, necopini adipiscentur atque usus Romanorum illius aetatis discent et instituta. Prologum sequitur introductio utilissima de vita Plinii, de ejus litterario labore, de epistularum codicibus; et ante unamquamque epistulam summam ejus italice aperit, historicasque praecipuas notas praecipit.

Emm. JOVÉ, C. M. F.

## Exercitationes Scholares

### La zorra y las culebras

(Ann. II, p. 131)

Ardían en contienda dos (1) culebras y a una de ellas (2) esperaba la muerte (3) muy de cerca. Llegase una tercera y con maña logra poner fin a la discordia y dejarlas apaciguadas. No lejos (4) hallábase oculta una zorra aguardando con curiosidad el resultado del negocio. Esta (5) grita al árbitro de la paz poco antes establecida. *No habrías podido* (6) pacificar un par tan ruín de animales, si tú no le hubieses superado en intenciones perversas y en hechos alevosos. (7)

Nunca acompaña a los impíos la verdadera lealtad.

EMILIANO VÁZQUEZ

### Notulae

1 *Duos*: anguis communiter generis fit masculini; in accusativo masculino *saepius duo* pro *duos* dictum est.— 2 *Moneo*: in hoc sensu accusativum habet. — 3 *Nex*: mors est violenta. — 4 *Haud longe*: idem est ac *prope*. — 5 *Quae*: et illa. — 6 *Non poterat*: minime non potuisses; imperfectum quia transactum est; indicativum quia de negotio agitur reali. — 7 *Nequitia*.. *astutia*: excessus in ablativo casu notatur.

### Fur atque ejus mater

(Ann. II, p. 131)

Puer cum (1) in ludo litterario (2) condiscipuli tabellas rapuisset ad matrem attulit, quae factum laudabit, nedum (3)

reprehenderet. Praeterierunt anni et puer adulescens factus, majora furari. (4) In furto tandem comprehensus, in supplicium ductus est pedibus manibusque (5) ligatus. Mater eum gemebunda sequebatur. Filius autem lictores rogavit pauca (6) ad aures matris ut liceret instillare. Continuo accedit mater atque ad os filii auriculam admovet, quam ille dentibus arreptam morsu divellit. Tum vero cum non mater tantum exclamasset filium *magnum admisisse* (7) *facinus*, sed universi eum insimularent quod prioribus criminibus non contentus, cum ipsa matre impie se gessisset, respondit filius: *Ea ipsa, mea ipsa mater mortis meae in causa est*; (8) cum enim tabellas ei attulit quas condiscipulo rapueram, si poena me adfecisset, cum furtis meis ultra non processissem, neque nunc ad supplicium ductus essem.

A. BAQUERO

### Notulae

1 *Cum*: eleganter ponitur haec conjunctio post unum alterumve verbum.— 2 *Ludus litterarius*: sic vocabatur schola apud veteres, quia pueri in addiscendis disciplinis quasi ludebant.— 3 *Nedum*: hoc membrum apud Latinos secundo loco fere semper constituebatur.— 4 *Furari*: in infinito satis eleganter invenies rem quae saepius repetitur; vocatur illud infinitum historicum cum subjecto in nominativo.— 5 *Pedibus manibusque*: ablativus limitationis.— 6 *Pauca*: suppletiva verba.— 7 *Admittere*: melius *committere*. — 8 *Esse in causa rei*: ser causa de algo.

## Compositiones Vertendae

### El médico infatuado

Un médico llamado Menécrates, (1) había curado algunas enfermedades. Por esto llegó a tal punto de vanidad, (2) que no tuvo empacho (3) en llamarse Júpiter. Un día dirigió (4) una carta a Filipo encabezándola así: (5) Menécrates Júpiter a Filipo, salud. (6) El rey admirado de la necesidad (7) de aquel hombre le respondió (8) de esta manera: El rey Filipo a Menécrates: sanidad. Os aconsejo (9) que paséis a Ancira; (10) os inte-

resa (11) ir allá lo más pronto posible; (12) sin duda nadie ignora que tenéis (13) necesidad de ello.

### Notulae

(1) *Menecrates nomine.* (2) *Eo vanitatis.* (3) *Erubesco (praet. erubui).* (4) *Mittere litteras.* (5) *Ita exorsus:* (6) *Salutem.* (7) *Stultitiam vel de stultitia hominis.* (8) *Rescribere ei vel ad eum.* (9) *Auctor tibi sum ut...* (10) *Anticyra; urbs helleboro clara qui insaniae medetur.* (11) *Tua interest.* (12) *Quantocius.* (13) *Id tibi opus esse.*

## PAVONES ET BUBO

*Rebus in (1) humanis nil est securum bonum.*  
*Ad medium collem, (2) qui Circaei Tusculi*  
*ruinis claret, est rus valde nobili (3)*  
*nomine decorum, varium copia arborum,*  
*topiaria (4) arte ac floribus sat elegans.*  
*Pavonum turba, in xystis discurrentium,*  
*suis coloribus et pennarum ampla rota*  
*moratur adventantem in obtutum ciens. (5)*  
*Pulcherrimi pavonis natu maximus*  
*pullus adhuc, saepe dictitabat gestiens*  
*delicias sese quamprimum fore omnium,*  
*ferentem primas laudes pulcritudinis*  
*O spem mendacem! (6) Vice quadam (7) nox cum ingruit, (8)*  
*ilicis in ramis congregat suos pavo.*  
*At subito ab aedis proximae (9) foramine*  
*vetusto ac celso devolans bubo inruit*  
*in pullum tacitus, raptumque feris unguibus*  
*extemplo praedam nido fert gratissimam:*  
*qui dum discerpitur has voces profert gemens:*  
*O spes, o vita, quo devenistis meae! (10)*

### Notulae

(1) *In* entre (2) *Al* medio del collado.  
(3) *Famoso.* (4) *De* jardinería. (5) *Atra-*  
*yendo* las miradas. (6) *Qué* esperanza  
tan falaz! (7) *Una* vez. (8) *Al* venirse la  
noche encima. (9) *Del* templo más cer-  
cano. (10) *A* dónde han venido a parar.

---

**Prof. Emmanuel Jové, C. M. F.**

**Moderator**

---

Typographia F. Camps Calmet. - Tarregas

